

NICOLAVS AMBSTORFFERVS THEOLOGVS.



Nicolaus ex nobili familia apud Saxones natus est anno circiter 1495. Is cum optima indole es-  
set prædictus, sese post prima literarum iacta fun-  
damenta in nouam academiam Vuitenbergensem contulit, atque diligenter sacræ Theologiæ incum-  
bere cœpit. idquæ tum potissimum, cum Luthe-  
rus prima sua themata contra pontificis indulge-  
tias euulgasset. Itaque cum postea anno Domini  
millesimo quingentesimo uigesimo primo Augu-  
stinienses monachi Missarum usum intermisissent,  
atque Fridericus princeps timeret, ne turbæ qua-  
dam inde excitarentur, academiæ iniunxit, ut dili-  
genter huius rei causam inuestigarēt: Ad eam rem

Nicolaus cum Melanchtone deputatus. Is cum rem intellexisset, principi si-  
gnificauit, & ut idem in alijs Saxoniciis Ecclesijs fieret, consuluit. Postea sa-  
cras literas sibi familiares reddidit, & sacræ Theologiæ Doctor Vuitenber-  
gæ creatus fuit. Erat is magna prudentia & uitæ integritate insignis.